

149

DE MECHANISMO, EFFECTV, VSV, RESPIRATIONIS SANAE,

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
CVJVS VERITATEM
CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSÆ FACVLATATIS MEDICÆ
IN ALMA ET PERANTIQA
HIERANA,

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
ET IMMVNITATIBVS
RITE CAPESSENDIS
PROPVGNARE CONABITVR
AVCTOR
CAROLVS STRACK,
MOGONVS.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS
HOR. CONSV.
DIE VI. SEPTEMBRIS MDCC XLVII.

ERFORDIAE
TYPIS JO. CHRISTOPH. HERINGII, ACAD. TYPOGR.

M E C H A N I S M O
E R E P T I U M V A
R E S P I R A T O R I S G A N D E

D E S T R A T O R I S G A N D E
C O N T R A C T I O N E
C O N T R A C T I O N E A V O T O D I F F A

G R A D I O N E M A C U L A T I O N E M C E

I N T E R C O M M U N I C A T I O N E

I N T E R C O M M U N I C A T I O N E

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S

G R A D A D O C T O R I S



DE

MECHANISMO, EFFECTV, VS, RESPIRATIONIS SANAÆ.

L.



apacitas magna, ampla, figurâ ad conum
accedens, parte anteriori compressâ, po-
steriori duobus sulcis longitudinalibus à
tergo excavata, Caput inter & Abdomen
posita, vocatur Thorax. Constat Verte-
bris Dorsi, Costis, Sternô.

2. Habent hæ Vertebræ 1º Corpus, antrorsum
positum, spongiosum, tenui substantiâ compactâ velti-
tum, partem cylindri æmulans, facie superiori & infé-
riori planum, cinctumque lamellâ tenui epiphysis in
modum. 2º Sunt parte posteriori hispidæ Apophysib-
us, unâ Spinali, Tranversis duabus, quatuor Articula-
ribus 3º Capitulo processuum transversalium in-
sculptus est Sinus cartilagine munitus; itemque lim-
bo superiori & inferiori corporum, ita ut junctis simul

A 2 verte-

a VVinslow Exposition Anatomique. Traité des os Secs. §58.

vertebris, & unitis ex utrâque parte Semifossulis effor-
mentur Foveæ cartilagine obductæ; exceptis Primâ
& Duabus Ultimis dorsi Vertebris, quæ solæ corpore
gerunt unicam fossam integrum. Uniuntur sibi invi-
cem Vertebræ cartilagine intermediâ, elasticâ, ligamen-
toque vario. Atque ex hoc nexus oritur Columna, cu-
jus figura patet ex cognitâ unius cuiusque vertebræ
figurâ, unione.

3. Sunt Costæ Arcus ossei, transversè & obliquè
utrimque siti, plus, minus incurvi, intorti, litteram /
eò imitantes rectius, quod costæ sunt longiores. Sic
prima & secunda ferè æqualis atque horizontalis, ter-
tia torqueri incipit atque descendere, ita, ut eò sit obli-
quior & intorta magis, quod costa est inferior. Atque
æquâ proportione, costarum facies externa à situ hori-
zontali ad perpendicularium magis magisque accedit
descendendo ad decimam usque.

4. Laterali Vertiles Ginglymo / costæ Capitulis
suis cartilagine munitis articulantur posticè foveis (2
nº 3). Tuberculis verò sinui sequentis vertebræ.
Undecima & Duodecima, tuberculo carentes solo ca-
pite articulantur uni suæ vertebræ. Prima verò co-
sta uni modo juncta vertebrae unitur anticè Sterno,
cartilagine intermediâ brevi, latâ, simphysi firmiter ad
angulum rectum; reliquarum verò cartilagini longi-
ores semper factæ formant cum sternô angulos de-
scendendo magis magisque obtusos. Costæ septima
& octava unitis arcibus cartilaginieis coalescunt cum
nonâ & decimâ, junctim infima sterni petentes.

5. Quod

ibid. 134.

5. Quod Sternum anteriorem thoracis partem occupans, oblongum, planum, inæquale superficie internâ, externâ, nunc excavatum, nunc sulcatum excipit fossiculis utrique limbo insculptis Claviculas, & costarum Cartilagines; constat in adulto, ossibus duabus firmissimè coalitis, & Apendice cartilagineâ inferiore Xiphoidâ.

6. Unde jam Situs, Structura, Figura, thoracis sat is patent, nimirum posse mutari ubi agunt Musculi 1º Intercostales Externi, qui orti à ligamento tuberculum costæ processui transverso vertebræ negetente, & ex inferiori margine costæ, ad cartilagines usque, descendunt antrorsum obliquè; inseruntur marginis superiores labio externo costæ infra sequentis, parvò tendine. 2º Interni ab Externis tenui membrana cellulosâ divisi, externis minus obliqui, constant fibris brevioribus, paucioribus, retrorsum descendantibus, priores secantibus; oriuntur à margine inferiore cartilaginis & costæ toto ambitu cartilagineo, osseo, ad angulum costarum usque. 3º Supra Costales, orti ex processibus transversis vertebræ superioris, obliquè descendant latiores facti, & inseruntur parti externæ, pollicæ, costæ infra sequentis. 4º Infrâ Costales tenui fibrarum serie obliquè descendantes oriuntur à facie internâ costæ, exteriori angulo aversâ, tum transgressis unâ vel duabus costis inseruntur tertiae aut quartæ cuique costæ, superficie internâ itidem ab angulo costarum extero aversâ. 5º Sterno-Costales constant decem fibrarum stratis ortis ex limbis & superficie internâ sterni, quæ strata obliquè ascendentia cartilaginibus costan-

A 3

rum

rum secundæ, tertiæ; longiora facta & minus obliqua,
quartæ & quintæ; & tandem omnino transversa infre-
runtur extremo osseō costæ sextæ. 6º Serratus Posti-
cus Superior, qui tendineo principio oritur à ligamen-
to cervicali, processibus spinosis duarum vertebrarum
inferiorum cervicis & duarum superiorum dorsi, obli-
què antrorum descendens latis, carneis dentibus infre-
ritur secundæ, tertiæ, quartæ costis, juxtâ angulum ex-
ternum. 7º Serratus Posticus Inferior tendineus or-
tus à spinis ultimæ vertebræ dorsi, primæ, secundæ,
tertiæ lumborum, inseritur dentibus carneis curvatu-
ræ nonæ, decimæ, undecimæ, & extremitati costæ ul-
timæ. 8º Diaphragma latum, forniciatum, retrorsum
inclinatum, fibris radiatis centrum aponevroticum, in-
æquale, tenuē, potentibus, oritur dentibus carneis, la-
tis, à cartilagine xiphoidæ, cartilaginibus septimæ,
octavæ, costæ, ab extremis cartilagineis & ossis unitis
reliquerum, principiō latō, carneō; tum à latere ulti-
marum vertebrarum dorsi; denique dupli processu
carneo, crasso, inæquali, caudato, descendente, decessante,
corpori ultimæ vertebræ dorsi inhæret; mox ma-
gis tendinescens, gracilescens, inseritur vertebris lum-
borum denticulis tendineis. Sic septo transversali
obliquo clauditur Thoracis Cavitas.

7. Hac in Cavitate, è vertebris dorsi ligamentō la-
tō membranaceō suspensus hæret continuā pleurā ve-
stitus Pulmo, corpus magnum, spongiosum, cellulare,
vasculosum, vesiculare, thoracis figuram æmulans, in
duas partes Mediastino & Corde divisum, quarum dex-
tra major in tres abit Lobos, sinistra minor in duos.

Vasa

Vasa habet Pneumatica, Sanguifera, Lymphatica, Nervos.

8) Tuberosus Larynx in parte superiori, anteriori colli positus, constat unitis per ligamenta Cartilaginibus quinque. 1º Thyroïdeâ magnâ, lata, parte anteriori convexâ, superiori excavatâ, utrumque Alis latis, retrorsum reflexis, limbo superiori arcuatis, in quatuor Cornua, duo superiora majora, & inferiora duo minora, abeuntibus. 2º Cricoïdeâ, parte posticâ latâ, assurgente, quatuor Tuberculis articularibus levigatis, candidis munitâ, quibus sustinet cornua inferiora thyroïdeæ, & arythenoïdeas duas. 3º Quæ Arythenoïdeæ sunt parvæ, uncatæ, inferius excavatæ, mobiles, flexiles. Earum basi annexuntur duæ Teniole ligamentosæ, tensæ, vibratiles, sonoræ & parallelæ, alterò sine concavo thyroïdeæ inhærentes rimam formant Glottidis, cui imminent. 4º Cartilago Epiglottis, Lingula elastica, superius gibba, inferius leviter cava, parti convexæ & limbo excavato thyroïdeæ ligamento brevi, lato, firmo, unita; sponte aperta frenata ligamento, sèpè musculo.

9) Quam Cricoidem (8 no 2) longa sequitur series Segmentorum Cartilagineorum inæqualium, transversorum, ligamento firmo, elastico, inter se unitorum; efformantque Canalem parte posticâ forti membranâ, elasticâ, foraminibus pertusa, glandulis mucum eructantibus obsita completum; lacertis musculosis longitudi-

*Mémoires de l'Academie des Sciences de Paris l'an 174x.
d Joan. Bapr. Morgagni Advr. 1 anat. no. 17. Tab. I. Lit. A.
g Idem advers. 1 Tab. 2, fig. I. OOO.*

gitudinalibus ^f intus munitum. Vocatur Aspera Arteria.

10. Quæ Bifida deinde ad Arcum Aortæ, simili (9) structurâ, mutato tantum nomine, vocatur Bronchia; mox in innumerabiles ferè divisa ramos eadem membrana fortis, parte postica iisdem glandulis, lacerisque musculosis munitos sibi invicem incumbentes ad angulos acutos, glandulam majorem Bronchiale comprehendentes; tum sensim angustiores tenuioresque facti, jam mutata figurâ, jam depositâ natura cartagineâ, membranacei, flexiles, tandem abundant in Vesiculas intime unitas, communicantes, formantes fasciculos angulares, oblongos, latos, quos Lobulos vocant.

II. Facit hæc (8. 9. 10.) constructio, ut aer liberè ire & redire possit, ut flexo antrosum, retrorsum, ad latus, obsequatur collo, varièque torqueri possit Aspera Arteria; ne deglutitionem lædat illæsa vicissim à deglutitione; ut tota arundo ejusque rami elongari, accurtari possint; ut flexiles semper maneant; neve ab aere exsiccantur, inflammantur, intus inunguntur, lubricantur, laevigantur muco & glandulis (9) forte & bronchialibus (10) continuo allabente, maxime ubi has glandulas vel bolus deglutitus, vel alterna expiratio compresserint.

12. Arteria Pulmonalis egressa è corde dextro, ferè recta ascendens, statim in duos, mox in innumerabiles divisa ramos eundem ferè semper servat tramitem quem bronchiorum rami, donec extremis capillaribus

^f Idem ibid. Tab. I.

laribus multaque cum venis anastomosi vesiculas pulmonum irretiat modo plane admirabili.

13. Quæ Venæ, vasis (10. 12.) membranâ cellulosa unitæ, revrehunt sanguinem in quatuor Venas Pulmonales majores, exinde in sinum Venosum Pulmonalem, Auriculam, Cor sinistrum. Est autem capacitas venarum minor capacitatem arteriarum in pulmone, contrâ ac in reliquis corporis partibus. Vasa hæc transversis hilicu rugis vi distracta lævigantur; laxata, suique juris facta iterum corrugantur.

14. Contexti ab Intercostalium Nervorum & Ostiis Paris ramis Plexus Pulmonalis filamenta concomitantur pulmonum vasa, membranas, vesiculas. Perrepunt denique pulmonem Vasa Lymphatica.

15. Excissus è thorace pulmo, aëri undique eum allabenti, prementi expositus, collabitur, fit minor contrahentibus sese Membranâ cartilagines necente; Lacertis muscolosis (9); Arteriis (12); Venis (13) sese corrugantibus; collabuntur Vesiculæ, fiunt magis planæ. Quod idem accidit Pulmoni thorace aperto, aut magno ad utrumque latus vulnere inficto, semper hiante. Ergo Status naturalis pulmonis est Collapsus; Pulmo in thorace clauso violente distractus patitur, non agit; ab aëre intrante distenditur non secus ac machinæ Boyleanæ inclusus propendente interea ad aërem liberè trachæa. Evulso è thorace Animalis vivi pulmone alternatim levantur, deprimuntur costæ, dilatatur thorax aliquo adhuc tempore. Ergo thorax instrumentum respirationis actuum.

B

16. Null-

g Marcel. Malpighi de Pulmon. Epist. 1. 2.

16. Nullum dari Aërem pleuram inter & pulmonem demonstrant experimenta^b, Autopsia. Tum ex cogitatum à Nathanaële Lieberkühnio experimentum planè convincit^c.

17. Quin implicat talem hic dari, quia calore loci rarefactus illabentem per glottidem atmospheram minimè æquilibararet; pulmoque necessaria lege pleuræ apprimeretur.

18. Nec ulla aërem hunc supponere nos cogit necessitas. Sed dum agunt Musculi (6. n^o 1. 3. 6.) immobili manente cōstā primā ligamentis simphysisque satis firmata, elevantur Costæ (3. 4.) sequentes novem, super articulatione vertiles, faciem externam mutant in magis horizontalem; fit limbus superior magis internus, inferior magis externus; quod optimè in parte arcuatâ costarum observatur. Elevatur Sternum parte superiore magis fixum, dum segmentis cartilagineis simili modo ac costæ tortis, antrosum fursum premitur. Sicque thoracis Cavum mirè ampliari constat. Comparentur cum figurâ, nexus, motuque costarum & sterni Demonstrationes Borellianæ^d.

19. Eodem quo haec (18) sunt tempore, levatis sterno costisque deprimitur contrahens se Diaphragma (6. n^o 8) ex convexo sit magis planum, ampliat thoracis cavum, abdominis viscera comprimit, abdomen tumefacit vixtâ resistentia muscularum qui ex utroque latere 1º Rectus oritur denticulis carnosis à sterno, costa 5. 6. 7. 8^a, tum descendens fasciae in mo-

^b Albert. Haller, de respir. Exper. Anat. part. 1.

^c Idem part. 2.

^d de Motu Animali, part. 2, prop. 83, ad 90. fig. 3. 4. 5.

dum latus, vaginâ, cui fortiter adhæret, inclusus, tendineis enervationibus in totidem quasi musculos se-
ctus, inseritur labio interno limbi superioris Ossis Pu-
bis; gracilior factus ubi adsunt 2º Pyramidales, lato,
crosso, carneo principio orti à limbo superiore Ossis
Pubis; magis magisque acuti facti gracilescentes in-
seruntur denticulis tenuibus Lineæ Albæ. 3º Obliqui
Externi dentibus carneis orti à 5. 6. 7. 8. 9. IO. II. 12º
costis, obliquè antrorum descendentes tendine lato ex-
panso suprà rectos, inseruntur fibris decussantibus Li-
neæ Albæ, Ossi Pubis, Ilium, Ligamento Fallopii.
4º Obliqui Interni orti principio brevi tendineo à po-
stica parte limbi Ossis Ilium ad Spinam usque anterio-
rem superiorem, obliquè sursum antrorum ascenden-
tes lati, aponevrotici itidem facti includunt Re&tos;
fibris decussantibus inseruntur Lineæ Albæ, Ligamen-
to Fallopii; dentibus carneis Cartilaginibus costarum
spuriarum, 6º & 7º verarum, Xiphoïdeæ. 5º Trans-
versi lati, carni, inhærentes dentibus carneis cartilagi-
nibus costarum notharum, duarum verarum inferio-
rum, dupli aponevrosi processibus spinosis & trans-
versis 1. 2. 3º Lumborum Vertebræ, Costæ Ossis Ili-
um, Ligamento Fallopii; inseruntur fibris tendineis
Lineæ Albæ.

20. Dilatatur igitur & ab Pulmone elongatur
thorax superans externè prementem ambientis atmos-
phæræ vii; unde nihil premit superficiem externam
pulmonis. Ergo externus, gravis, elasticus aër ruit
quà minor resistentia id est per Glottidem, Asperam
Arteriam, in Pulmones. Quare longiores fiunt Aspe-

ra Arteria, Bronchia, Venæ, Arteriæ antea corrugatæ, rami omnes abeunt in angulos majores, inflantur Vesiculæ, eriguntur Lobi, tumet Pulmo, fit Inspiratio.

21. Eodem ferè momento, quo dilatans sese thorax atmospheræ pondus vincere finivit, illud æquilibrat, cedit tandem, cessante actione muscularorum (6. n° 1. 3. 6.); deprimitur Costæ gravitate suâ, elatere ligamentorum & segmentorum cartilagineorum; descendit retrosum Sternum, pulsus gravitate suâ, elatere ligamentorum clavicularis & primis costis annexentium, trahitur segmentis costarum cartilagineis, adjuvantibus muscularis (6. n° 2. 4. 5. 7. & 19.) solo motu elasticò non autem musculari sese restituentibus; lumen jam Diaphragma trahitur sursum elatere extensis antea Mediastini, Pericardii, Oesophagi; pellentibus simul viscera sursum muscularis abdominalibus restitutis; Abdomen detumet; arctatur thorax; contrahuntur Bronchia, & corrugantur Arteriæ, Venæ; complicantur Vesiculæ; sunt planiores; contactus in pluribus punctis fit major; expellitur Aër; Pulmo fit minor. Vocatur hæc actio Expiratio.

22. Quæ hæc omnia (18 ad 22) ità alternatim, constanter, & placidè facta vocant Respirationem Vitalē, Mechanicam, quia fit independenter à Voluntatis imperio. Mirum sane quantum in homine sano, placidè dormiente, suspensis actionibus voluntariis, sensibus externis, augeatur; fit fortior, magis plena, lenita, rara.

23. Causam efficientem contractionis muscularum respiratoriorum nervos esse conitat experimentis.

tis. Eorum verò agendi modus tam diu debili nitetur sistente, usque major de Encephalo efulserit lux.

24. Multò minus adhuc explicari poterit respiratio-nis Mechanica Perennatio, hujus Alternatio, Rith-mus in homine vigilante æquè ac dormiente; quam equidem demonstrare voluit Boerbaavius ⁴ his verbis: *Hicse (618) sic manentibus, aër in pulmones agit æquâ vi ac thorax resistit; itaque pulmo quietet, binc sanguis minus transibit, minori copiâ agetur in cor sistrum, binc minus in cerebellum, ejusque nervos; tum sanguis arteriosus minus aget in musculos intercostales, & in dia-phragma; ergo cau-sæ dilatantes thoracem debilitantur.*

At 1º momento finem Inspirationis inter & initium Expirationis quiescens thorax nec cedit ponderi atmospheræ, nec ejus pondus vincit; ergo premit atmosphera pulmones tota sua vi, & thorax resistit ea-dem ipsa vi. Ergo aër dum agit hoc tempore in pul-monēs eadem vi, qua thorax resistit, aget vi ponderis totius atmospheræ. Secundum tritum illud: *Si cor-pus vi gravitatis perpendiculariter agat in planum immo-sum, nisus aut renixus prementi ponderi compar erit.*

Sic pariter 2º. Momento finem Expirationis inter & initium Inspirationis quiescens thorax nec cedit atmospheræ nec eam superat; ergo resistit itidem ea-dem vi, qua premit atmosphera; Ergo momento Ex-pirationis finem inter & initium Inspirationis aër in pulmones aget eadem vi, qua resistit thorax, id est, vi ponderis totius atmospheræ. Ergo vis, qua agit aër in pulmones quiescentes momento ante Inspirationem,

B 3. nem,

s Inst Med. 619.

nem, æqualis est vi, qua agit aëris in pulmones quiescentes momento ante Expirationem.

3º Si igitur hæc vis agentis aëris aut pulmonis quiescentes momento ante Expirationem est causa, cur sanguis transeat minus ad cor sinistrum inde ad cerebellum ejusque nervos, curque debilitentur causæ dilatantes thoracem; sequeretur pariter momento ante Inspirationem causas dilatantes thoracem debilitari; sic nunquam posse fieri inspirationem, sed perpetuam in homine vivente esse Expirationem; quod experientiæ & vitæ contrarium est. Eodem argumento sequeretur respirationem nunquam posse suspendi; vel, si copta unquam susperderetur, inspirationem ulterius produci non posse.

4º Deinde eandem sanguinis quantitatem tempore Inspirationis & Expirationis transire ad ventriculum cordis sinistrum, constat ex invariata, semperque eadem manente quantitate pulsus. Ergo sanguis arteriosus eadem semper copia ager in musculos Intercostales & Diaphragma. Et, quæ erit secretionis fluidi nervi diminutio, dum momentum, quod supponitur, temporis est minimum?

25. Simplex magis, &c, posito semel voluntatis imperio, explicatu facilior videtur respiratio voluntaria. Nam constat experientiâ, & unicuique digitis tangentibus, Musculos Abdominales (19) vi Diaphragmatis violenta distensos, solō elatere restituti in Expiratione Vitali; ablata scilicet causa distendente. Unde eorum actio hac in Expiratione exigua, præcipue verò inflexo varie corpore. Musculus elatere se restituens flacidus

cidus; musculari vero motu contractus, fit durus, re-nitens.

26. Hi ipsi Musculi (19) determinante voluntate contracti, contenta abdominis fortius, citius, compri-munt; Diaphragma sursum pellunt in cavitatem tho-racis, hanc arctant, minuunt; deprimunt costas, fit Ex-piratio Voluntaria, plus, minus, pro libitu aucta. Et sic videmus eosdem omnino musculos nunc contra-hi posse imperante voluntate, nunc, hac inscia, agere elatere suo; Quem eundem offici usum musculis Inter-costalibus Internis, Infra-Costalibus, Sterno-Costali-bus, Serratis Posticis Inferioribus nullus negaverit.

27. Tum Volente Anima contrahuntur Musculi Inspiratorii (6 n° 1. 3. 6. 8.) pro imperio plus, minus, fortius, languidius, fit Inspiratio Voluntaria; Quam fieri iisdem planè instrumentis, quibus Respiratio Vi-talis, patet perpendenti.

1º Eosdem planè Musculos nunc majori nunc mi-nori intensione in cæteris corporis partibus agere, adeoque prædictæ effectus nunc maiores nunc mino-res; quod Musculis Respirationi dicatis negari non potest.

2º Alios præter musculos Respirationi Vitali in-servientes hic non dari qui Voluntariam perficiant Re-spirationem: Siquidem inclinato antrorum, nullo modo tensò, collo, capite pendulo; scapulis nullo mo-do fixatis, levatis, sed laxis, liberis, antrorum, deor-sum, pendentibus, & brachiis; corpore antrorum flexo, curvaro fixo, rigido; fit tamen Inspiratio Vo-luntaria æquè libere & expedite. Ergo nec laxi Scale-ni,

ni, nec flaccidi Serrati Antici adjuvant Inspirationem, nec tensi Sacrolumbares eandem impediunt. Deinde collo erecto, fixato, levatis scapulis, vario modo fortiter fixatis; corpore nullo modo tenso, neglectim eretto, sit Exspiratio Voluntaria æquè libera, non impedita. Ergo nec tensi Scaleni, nec rigentes Serrati Antici, nec flaccidi Sacrolumbares impediunt Espirationem Voluntariam. Non igitur sunt Musculi Respirationi dicati, sed alios plane usus habent, qui optimè deteguntur inspectione eorum insertionum, sítus fibra- rum directionis, varia corporis contorsione, motu, tactu. Necessario ergo fieri debet Respiratio Voluntaria iisdem plane muscularis quibus sit Vitalis; gratis que alii hic vocantur in subsidium. An soli Serrati Postici Superiores solum sunt instrumentum Inspirationis Voluntarie? quis hoc dixerit? nec eorum tenuitas, sítus, insertio, id asseverare jubent.

3º Omnes hi Musculi Respirationi Vitali soli alias perperam dicati magni sunt roboris, adeoque effectus; nec Voluntati in eos imperium negari potest, cùm nervos accipiant à medulla spinali æquè ac omnes ferre totius corporis musculi motibus voluntariis inser- vientes. Nonne Respiratio Vitalis à fluido, ut ajunt, nerveo continuo allabente; Voluntaria verò ab eodem pro libitu aucto? Et jam quoque habetur idea Respirationis Voluntarie.

28. Pulmonum Fabrica, Structura, Situs, Mutatio, thoracis Dilatatio, Coarctatio, multos sanè producunt effectus.

29. Chy-

29. Chylus sanguini confusus, corde dextro per Arteriam pulmonalem pulsus, ad ramos in minores atque minores semper cum sanguine portiones effectus ^b, tandem per minima vascula repens, summè divisus venas minimas intrat, inde in majores atque majores confluit, tandem in ramos quatuor, inde in sinum Venosum, Auriculam sinistram, Cor laevum, probe mistus.

30. At eodem quo hæc (29.) fiunt tempore, facit Vasorum intorsio, flexio, ramorum ad angulos sectio, elater, ut sanguis chylo confusus à tergo pressus, ad angulos resiliens, à lateribus distensis elasticis repulsus, sibi invicem impingatur, subigatur, mutetur in contactu particularum in arteriis & venis èd magis, quo vasis axi propior sanguis fluit cursu velociori.

31. Sed Effectus hi (29. 30.) & Mutationes in Chylum, eadem planè sunt, quas reliqua corporis vasa in chylum sic crudum cum sanguine circulantem produxissent; unde nulla adhuc patet pulmonum necessitas. At sic cum sanguine ad reliquias corporis partes delatus crudus produxisset multas & varias obstruções, figurâ & mole suâ.

32. Quin, hoc incommodi pariter accidere potuisset Mirabili minimorum Vasorum vesiculos pulmonum perreptantium Contextui, nisi Vesiculae ab aëre inflato assurgententes, rotundiores factæ, minus fese contingentes; nunc collabentes, planiores factæ, figuram, locum assiduo mutantes, jam ab aëre illabente vietæ, jam ejus pondus superantes, & sanguinem in venas

^b Borell, de motu Animali, part. 2, prop. 98. ad 107, Tab. XVIII, fig. 3, 9, 10, 11.

venas prementes facerent, ut sanguis cum chylo liberius transeat simul magis attenuatus.

33. Deinde habet hoc præ reliquis corporis partibus sibi proprium Pulmo, ut Chylus sanguini commixtus, divisus, attenuatus motu circulari, in minora semper vasa, tandem in innutritabilia atque minima distributus, majorem superficiem præbent expansus, alterna vasorum elongatione, accurtatione, loci mutatione, vesicularum expansione, complicatione, aëris & thoraci compressione quasi prælo conquafetur, misceatur, compingatur, subigatur, conteratur, attenuetur, motetur in omnibus punctis contactis particulatum & in harum figuris, fluidior reddatur & conservetur, corpori assimiletur, nutrimento & secretionibus fiat aptior.

54. Auget autem hanc (33) pulmonis in sanguinem chylosum vim, minor Venarum cum Arteria pulmonali comparata. Diameter; nam, ut ex hydraulicis constat;

Quætitates effluentes sunt ut Velocitates, Orifice ciorum amplitudo, & Tempora conjunctim.

Si data tempore, eadem fluidi quantitas, quæ fluit per canalem majoris diametri, fluere debet per canalem minoris diametri, necessum est ut Velocitas augmetetur.

Velocitas hec augeri non potest, nisi simul augmetetur vis motrix.

Sed scimus à posteriori hanc in pulmone velocitatem augmentam esse, dum eadem sanguinis quantitas è corde dextra

⁴ Varignon Mémoires de l'Academie des Sciences l'an. 1703.

dextro pulsa, dato eodem tempore per Venas Arteriis angustiores reddit in cor sinistrum; adeoque fluidi velocius currentis partes multum premi, affricari, contari; nec refrigerium sanguinis hic locum habere.

35. Summa autem influida contenta aëlio est Expirationis tempore, quo pulmo premitur maxima vi.
Nam, uti ex physicis constat, Corpus impulsum secundum directionem gravitati oppositam, moventi resistit pro ratione ponderis. Et motus impressi simul. Sed contrahens se thorax aërem è pulmone directione opposita expellit; ergo in Expiratione resistantia seu nisus aëris in superficiem internam pulmonis æqualis est ponderi absoluti atmosphæ, & toti momento motus simul quod exsilit è pulmone. Comprobant id exsiliens hoc tempore è vulnera in cavitate thoracis facto aér, pus, aqua, sanguis; dum fluida pressa ruunt quæ minor resistantia; tum admotæ flammulæ agitatio; immissi vulnusque benè obturantis digiti repulso; Pulmonis per vulnus proruptio; Mediastini, Oesophagi, Cordis, Pulmonis, ab latere sanò in saucium protrusio plane convincunt. Ergo intermedia vasa, fluida, quasi prælo exposita, quin omnia thorace contenta, sanguis Vasorum Intercostalium, Venæ azygæ, Chylus Thoracici Ductus, Glandularum Oesophagi, Bronchiorum, succus exprimitur, majori vi tempore Expirationis, quam omni alio quo-cunque. Ergo hi (33.) Effectus præcipue tempore Expirationis; idque eo majori intensione quo aër est gravior, vel quod eadem aëris quantitas, manente eadem

C 2 Glotti-

*d Theses Med. An alio Mechanica pulmonum in fluida tempore expirationis
Præfide Ant. Ferrein, Parisiis 1738.*

Glottidis apertura expellitur citius; cum majus ad hoc requiratur contrahentis thoracis momentum, renixus que aeris in pulmones pro ratione sit major; Vel ubi eadem aeris quantitas majori adhuc velocitate per angustam viam cogitur. Experiuntur hoc ii, qui cursu exercitati, vel capite inflammatoriè dolentes, aëri exti-turo viam arctantes nares emungunt; ii pedes sibi quasi inflari, hi vero, caput tumere, scintillasque obvolitare, sibi videntur. Tanta est hæc nitentis thoracis & renitentis in Pulmones aëris vis, ut sanguini venoso ad cor reduci tantum ponat obicem!

36. At, contrario plane modo, pulmonem, ejus vas, liquida, quin omnia Thorace contenta tempore Inspirationis minus comprimi, quam reliquas corporis partes, omni alio quoque tempore, jam intelligitur. Siquidem si data potentia contiguum corpus moveat, minor est nodus & renixus mutuus, quam vis absoluta ponderis. Unde tempore Inspirationis dum pulmo cedit illabenti aëri, vis aëris superficiem pulmonis internam prementis erit infra pondus absolutum atmosphærae. Commonstrant id fluidi per idem vulnus hoc tempore introitus; admotæ flammulæ, vel immissi digiti attractio, suetio; proruptæ pulmonum partis restitutio; Mediastini, Oesophagi, Cordis, Pulmonis ab saucio latere in sanum intropulsio. Hinc contenta cavitate thoracis minus premuntur hoc tempore, quam ulla alia quæcunque corporis pars. Unde humoris in glandulas, Chyli in ductum thoracium, sanguinisque derivatur plus in vasa atque alveos ante-

* James Keil's Account of Animal Secretion prop. XI, London 1708.

tea (35.) expressa. Utroque verò hoc (35. 36.) modo optimè exercetur humorum transitus atque Secretio.

37. Nec minus benè duabus his (35. 36.) actionibus multum chyli sursum in subclaviam pellitur. Nam dum tempore Inspirationis contrahens fese deprimitur Diaphragma, tumet abdomen circumambienti aëri directè se opponens, cujus renixus in abdomen tum major est quam pondus absolutum atmospheræ (secundum axioma 35). Omnia igitur abdomine contenta, Chylus in intestinis, Vasis lacteis, Glandulis Meseraicis, Cisternā Lumbari valde comprimuntur, primò vi ponderis majori quàm est absolutum atmospheræ, deinde vi Contractionis musculosæ Diaphragmatis. Sed & eodem hoc ipso tempore, cùm amplietur thorax minorque in eo, ut §. 36. demonstratum est, sit pressio, quàm illo alio tempore, necessum est Chylus surgat per Canalem thoracicum, non secus ac Siphone suctus, dum resistentia imminuitur in thorace, pressio verò augetur in abdomen. Atque hæc omnia huc usque dicta semper locum habent, negetur licet affligereturve aëris pleuram inter & pulmonem.

38. Sed & tempore Expirationis Chylus in thorace magis pressus (35) ruit qua data porta, id est sursum, dum descendere nesciat valvulis impeditus. Certè consideranti hæc (37. 38) patebit respiratorio motu plus pelli Chyli in Venam subclaviam, quàm motu intestinalium peristaltico. Nonne eodem ipso adjumento multum expeditur ascensus sanguinis per Venam Cavam in Cor? Annon jam patet modus quo liquida ore hausta, sanguini cito mixta, tam brevi temporis

poris intervallo abeant per Vesicam? An igitur fingen-
di Canales a Ventriculo ad Vesicam recta abeuntes?
Constat etiam majorem hanc Chyli post esculenta &
potulenta sumpta, copiam, non exiguum utique esse
causam Ruboris, Caloris, & Pulsus magis Pleni; dum
humorum quantitatem augendo, quasi Plethoram in-
ducit autem nullam, aequali ratione, secretionem, sed eadema
semper manente Perspirationem.
*Inter perspirationem
autem ac post prandium nulla observatur differentia; nec non-
cœnatus minus, quam cœnatus perspirat.* f

39. Atque hi (32. ad 39.) videntur esse Effectus
Respirationis in partes thorace contentas. Nec mino-
ra molitur in Abdomine, dum facit motu continuo,
alterna pressione, situs mutatione ut secretiones in
glandulis Ventriculi, Intestinorum, Mesenterii, Pan-
create, Hepate, Renibus, sint liberiores; ut sanguinis
circuitus expeditus maneat in vasis licet destitutis ad-
jumento elateris partium mollium circumiacentium;
ne eadem vasa à Ventriculo cibis, & Intestinis mate-
ria infarctis, comprimantur continuo, dilatentur, rum-
pantur. Dum auget Subactionem deglutorum in
Ventriculo; Ejectionem chyloſi e Ventriculo; hujus
Mixtionem cum utraque Bile & Succo Pancreatico in
Duodeno; Attenuationem, Elutriationem, Absorp-
tionem Chyli in Intestinis; Fœcum Propulsionem;
Sanguinis in gravidarum placenta expensi Attenuatio-
nem, Propulsionem; Pinguedinis in Omento Atte-
nuationem, Absorptionem. Dum impedit ne abdo-
mine contenta sibi invicem adhaereant, accrescant; ne
Obſtruant-

f Jacobi Keilii Medicina Statica Britannica

Obstruantur Organa secretionum; ne Fluida secreta quiescant; neque secretorum partes quiete à se invicem secedant, corruptantur in Cystide, Renum Pelvi, Vesica, Vesiculis seminalibus, Aminio; nec sic generatur Sabulum, Calculi, in Cystide, Renum Pelvi, Ureteribus, Vesicâ, aut Materies Calcaria in Liene, Paracreate.

40. Aér nimis levis, calidus, rarefactus, minus comprimit superficiem internam pulmonum; distenduntur vasa, sanguis huc derivatur; tument, turgent pulmones, impeditur respiratio.

41. Nocet aér nimis siccus exsiccando; frigidus, constringendo; utroque modo respirationem impediendo. Tum aér nimis compressus, gravis, comprimendo superficiem Pulmonum internam, vasa coartando transitum sanguinis impediendo.

42. Aqua respiranda, Corporeitate & Gravitate sua Epiglottidem deprimeret, sibique ipsi aditum in Pulmones præcluderet. Deinde, posito etiam, quod intraret limpida, insipida, tepida, Glottidem, Asperam, Arteriam, Bronchia, Vesiculas, nullo modo irritatura, tamen respirati aëris vices implere non potest, quia ingenti Gravitate sua specifica nimium ponderans, à thorace in Expiratione difficillime superaretur, expelleretur. Vasa nimis comprimeret, circuitum sanguinis impideret omnino, produceret Palpitationes summas, Suffocationem, Vasorum Crepaturas. Ageret eodem modo, at intensiori vi, ac aér nimium gravis. Sic Boërhuavius quæsito & satisfactum esse videtur.

43. Nec

Instit. Med. 203;

43. Necat halitus Fodinarum, Carbonum, Liquorum fermentantium, Acidorum Mineralium, Arsenici, irritando, contractiones excitando, labem inducendo, non verd aërem rarefaciendo.

44. Patet jam quid Pulmo in Humores? cur omnis totius corporis Sanguis prius transeat per Pulmones? quid adferant boni toti corpori? Qui varii morbi, & quomodo lēdere possint respirationem? Cur debili, corrupto, exeso pulmone totum corpus labefiat? Cur ex frequenti sternutatione hæmoptysis? Cui bono sermocinatio, cantus, Gymnastica? Quodnam salutis commodum deambulatio, exercitium iis, qui aquas medicatas hauriunt? Quis Mediaстini usus, & quomodo dividendo thoracem in duas cavitates prævertat præsentissimæ & inevitabili suffocationi si vulnus thoraci infigeretur insauciis quamvis visceribus? quomodo ampliatus, fixatus thorax punctum fixum præbens muscularum vim augeat? Tum idea haberi potest Exscreationis, Narium Emunctionis, Sternutationis, Tussis, Rissis, Vocis humanæ, quam fidibus sonoris aëre motis fieri firmissimis convicit demonstrationibus Vir incomparabilis Antonius Ferrein.^b

45. Sunt, qui cum Borellio ^c credunt inspirati aëris particulas, eláticas, misceri cum sanguine in pulmone, ut inserviant motui oscillatorio. At non patet via nisi vi facta ^d; quam sibi utique paravit materies ceracea à Ruyſchio Venæ pulmonali injecta. Nonne humores

^b Mémoires de l'Acad. des Sciences de Paris l'an 1742.

^c Motu Animal, part. 2. prop. 94. 95.

^d Malpighi Epist. 1. de pulm. Morgagni aduersi anat. s. Animad. 35.

humores transiudaverint per meatus per quos aër transiisset, præcipue tempore expirationis summè pressi? videtur sanè, dum aquam poros, quos aëri permeare non potuit, penetrasse demonstraverint Philosophi Florentini. Corpora texta, quæ aëri transitum concesserunt sicca, eundem ipsi negant humida. Præcipue vero mucus pulmonum vesiculas obliniens aëri in sanguinem viam præcluderet; neque Borellianæ Sententiae satis faveat respiratio piscium. Restitutio elastici corporis non fit nisi cessante causâ comprimente, aër vero comprimeretur cordis sistole, tunc laxo corde, Arteriarum contractione; ubinam oscillatio? &, si quod daretur momentum remissionis, nonne aëri vi elasticâ reprimetur partem sanguinis versus cor, no-
voque inde expulso obicem poneret? An hic Oscillationis Usus? Aër venæ animalis vivi inflatus necem inducit. Particulæ aëris corpori immixtæ separatae non agunt elatere, congregatae vero superant adeo corporis molem ^f, ut, hi elatere agerent, citissimè destruerent corpus. Neque experimentum Loweri convincit; cum sanguini vase excepto, conservetur fluiditas, & rubedo agitando ^g; quin sanguis jam coagulatus, nigricans diu conquassatus colorem suum induit naturalem.

46. Juvat quosdam refrigerare in pulmonibus sanguinem per corporis venas lento tramite repente. Certè hi refrigerant conquassando, pellendo per canales

^e van Muischenbroeck Experim. phys. 1409.

^f Hales Statica Vegetabilium.

^g Malpighi Epist. I. de pulmon.



les pulmonum angustiores, motum augmentando. Tantum abest, ut haec pro vero admitti possint, dum Eorum opinioni contrarium omnino demonstrat Color nigricans sanguinis ad Cor dextrum reducis, major Venarum capacitas, motus tardior; tum Venarum Pulmonalium angustia, Motus sanguinis hic velocior, ejus Color floridior, Fluiditas. Nec major Ventriculi cordis dextri capacitas ullo arguento iis esse potest, dum tempore contractionis ejus Valvulae majori superficie plus rejiciunt sanguinis in auriculam, quam Mitrales Valvulae; quod Autopsia confirmat, sinu Venæ Cavæ tum temporis pulsante.

47. Deglutitionem fieri suspensa respiratione, clausa glottide, cuique patet attendenti; nam ore & naribus manu clausis non impeditur deglutitio. Quantum verò noceat Respiratio, non sine summo suffocationis metu experti sunt ii, qui in ipso actu deglutitionis Epiglottidem elevarunt respirare, loqui, aut cachinari contendentes. An ergo defectus respirationis est causa cur foetus in utero non possit deglutire, ut argumentantur non nulli? Absit. Idem planè dicendum est de Vomitione.

48. Minus recte contendunt nonnulli bibere ope respirationis, cùm bibere nil sit aliud quam fluidum ore excipere & deglutire. At deglutitur suspensa respiratione (47); excipi autem ore potest fluidum, in ipso actu Inspirationis, Expirationis per nares depresso velo palatino, tum Respiratione suspensa, pro lubitu. Ergo sine respirationis necessitate bibitur. Certè experimentum capienti patebit, cavitatem oris Anthliae,

Lin-

Linguam vero Emboli attrahentis vices agere in fluidis sugendis. Quantum non citari deberet inspiratio si suetio fieret inspirationis ope! cùm econtra durante unicā Inspiratione, vel etiam Expiratione infantes latentes quam plurimis & citissimis vicibus matris ubera sugant.

49. Non Apicem solum Linguæ, sed & ejus dorsum Emboli vices agere constat experimento sequenti: Si quis ore & naribus clausis, thorace tranquillo, dorsum linguæ palato apprimat, tum, quasi salivam deglutiens, basim linguæ deprimat; aër cavitate Oris contentus fit rarius, collabuntur Pinni Narium, exsunguntur Tubæ Eustachianæ, producuntur Bombi. Jam, si idem faciat ore clauso, naso aquæ immisso, ascendet aqua in cavitatem narium, Pinni non collabuntur, nec exsuguntur Tubæ. Non tamen hoc experimentum demonstrat deglutitionem fieri ope respirationis, ob rationes §. 47. allatas.

50. Quanta sit hujus Emboli (49) vis, noscunt ii, qui frequenti Nicotianæ pulverisatae usu delectantur; dum enim leví Gravedine laborantes ne minimum hujus pulveris ope Inspirationis attrahere valent; uno narium foramine manu clauso, limbum apicis linguæ dentibus fortiter apprimunt, labra claudunt, tum basim linguæ uno impetu trahunt ad infrâ, depresso simul, vi magnâ, maxilla inferiore, adjuvantibus præprimis musculis linguæ, maxillæ, laryngis, embolum trahentibus; intrat pulvis citissimo volutu. Et tota ferè hæc maxillæ depresso facit id, quod totâ integrâ Inspiratione fieri non potuit. Nam si thorace probre

contracto pulvis descripto modo attrahatur, tum iterum thorax contrahatur, nullà prius factà inspiratio-ne, per paucum expirabitur aeris. Unde patet insignis hujus Emboli vis.

51. Alvum & Vesicam exonerari posse sine respirationis adjumento, & contractione muscularum Abdominalium, demonstrat aucta foecum & urinæ Quantitas, Acrimonia, Diarrhæa, Purgantia. Si enim Sphincterum resistentia major est stimulo citante, nil exonerabitur; si vis sphincterum æqualis est pressioni materiæ, erit æquilibrium; si vero materies premit majori vi quam resistitur, cedent spinctores, exonerabitur Alvis, Vesica. Non igitur defectus respirationis est causa cur non eliminentur foeces foetus in utero latentis, ut placuit *Berhaavia*^b. Sane totius materni Abdominis Pressio, uteri tonica Constrictio, ejus in fluidum fætum ambiens Actio, Pressio, Pondus hujus fluidi aere specificè gravioris, multum juvant resistentiam sphincterum; experiuntur id ii, qui conantes, in balneum descendunt; fluidum ambiens, fortis infessus, vestimenta tensa, idem ferè faciunt, quod hic foeti accidit. Musculos abdominis, nixumque Expirationis accelerare, adjuvare excretionem voluntariam certum est. Causam vero absolutam non esse, planum est.

137
Petrusq; dicit ha; inquit deo in pectore omni homini nisi
-qui erit in iustitia et in aliis tunc ageret in iustitia
mitigando legem tuam, nullum cogit illud eum etiam
eumque. Amor omnis eius ergo tunc redimitoris
regnum mortaliis obsecrabitur, ut sit etiam
omnes, sicut enim dicitur. **Nihil** est tunc **PRO**

J. Inst. Med. 682

50

PROBLEMA MEDICVM

Demonstrare Usum Venæ A ζ vys?

Azygos, Vena, sine Pari, ad latus dextrum Corporum Vertebrarum Dorſi ſita, tenui caudice nunc ab Emulgenti, nunc à Lumbari, nunc à Cavâ Venâ ipſa orta, ascēndendo amplior facta, ſuper Vasa Pulmonis dextri antrorum ferè direcťe flexa, inſeritur Venæ Cavæ Superiori, non longe ab Pericardio.

Venas excipit Tracheæ, Bronchiorum, totius pleuræ contenta thoracis mirè investientis, Musculorum Intercostalium, quin Serratorum & Abdominalium non paucas; ita, ut fanguinem ab Instrumentis Respirationis reducem cordi advehere manifestum sit. Duplex non raro, nunquam autem obſuiffe obſervatum credimus.

Hoc vero problema hic ſubjungendum eſſe videatur, cum hujus Venæ ſtructura, Uſus, ſanguinis in eā circulandi modus multum adferat boni, & faciat ut Respiratio eō sit liberior, expeditior.

Ut autem dicenda intelligentur mellius, neceſſum eſt præmittamus Lemmata quædam ex hydraulice ſumpta, alio ſatis demonstrata.

Et 1º Fluida premere in omnem partem, tubis suis vi treis demonstravit Paschalius.

2º Fluidum per canalem tranſans, premit ab axi ad circumferentiam eā vi, quā ei reſiſtitur ſecundum axim.

3º Manente eādem amplitudine, & ēadem fluidi quantitate, velocitas augeri non potest, niſi ſumūt augeatur vis motrix.

4º Vires fluidorum inter se currentium adversus oblatas superficies, sunt in ratione compositâ ex velocitate suâ duplicatâ, & ex simplâ superficie ^a.

5º Resistentiae projectilium corporum diversa velocitate motorum crescunt ut velocitatum quadrata.

Jam vero in variis corporum exercitiis, præcipue vero extremitatum inferiorum, Cursu, Lucta, renixus partium elasticarum, & alterna muscularum contractio sanguinem in Venam Cavam, inde in Cor protrudunt; hinc duæ potentiae, Vis cordis scilicet, & Contractio reliquarum partium pellunt sanguinem, unde ejus velocitas augetur. (nº 3.)

At, velocitas sanguinis per canalem Venæ Cavæ currentis augeri non potest quin simul ex parte crescent resistentiae (nº 5.) Ergo aget sanguis majori vi in circumferentiam seu latera Venæ Cavæ, ob rationes nº 2. & 4. datas (idem confirmat partium rubedo & venarum tumor) & eandem ob causam sanguini per venas collaterales in Cavam adducendo major ponitur obex. Quod, si iis quos Azygos excipit venis, accidisset, si Venæ Cavæ separatim fuissent insertæ, non sine summo & præsentissimo vitæ periculo fieri potuisse cuilibet jam patet comparanti summam orificio harum Venularum cum orificio Venæ ^{Azygos}, considerantque quantum pro ratione superficierum augeretur pressio seu resistentia; cum tamen aucto sanguinis motu, & per consequens citatiore respiracione circulatio sanguinis in Instrumentis Pneumaticis requiratur summe libera.

Con-

^a Memoires de l'Acad. des Sciences de Paris l'an 1704. p. 328.

Conservatur vero hæc sanguini circulanti salutari libertas, dum Azygos unicō tantum orificiō, minorem præbens superficiem pressioni laterali parietum Venæ Cavæ, sanguinem hūc reducem vehat in Venam Cavam Superiorē, cuius Cavæ Superioris latera minus sunt distenta, eoquod sanguis propriā gravitate multum descendens minorem præbet resistētiā axi (nº 2) sanguinis à tergo sequentis; adeoque Azygos ejusque Rami Venulæ liberius & facilis fese exonerant. Deinde Alterna Expiratio hæc Vasa multum deplet, sanguinem exprimit, novoque advenienti liberiorem viam parat, multumque jam huc derivato Inspirationis ope. Comparentur cum his dicta

§. 35 36.

Ergo Venæ ~~Azygæ~~ Conformatio, Directio, Orificium, Insertio facit, ut inturbata maneat Respiratio, ut expedita sit Circulatio, ut præveniatur Turgescētia, Obstrūctiones, Inflammationes, atque Varia inde sequentia Mala, Mors.

F I N I S.



ЗИГЕ


00 A 6328


ULB Halle
002 836 53X



3

Retro ✓





DE MECHANISMO, EFFECTV, VSV, RESPIRATIONIS SANAE,

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
CVJVS VERITATEM
CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA ET PERANTIQA
HIERANA,
PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
ET IMMVNITATIBVS
RITE CAPESSENDIS
PROPVGNARE CONABITVR
AVCTOR
CAROLVS STRACK,
MOGONVS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS
HOR. CONSV.
DIE VI. SEPTEMBRIS MDCC XLVII.

ER FORDIXE
TYPIS JO. CHRISTOPH. HERINGII, ACAD. TYPOGR.